

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Initia doctrinae physicae

Melanchthon, Philipp

Francoforti, 1550

VD16 M 3471

An libere & contingenter agat primus motor?

urn:nbn:de:bsz:31-106565

LIBER II.

motus celestis, cum mirifice ordinata sit, uarijs motibus miscentibus luminum & stellarum radios, necesse est. Iam si processus in infinitum esset, turbaretur ordo causarum. Nam in infinitis numeris, nihil est prius aut posterius. Cum igitur certa series sit, & differant cause immediatæ à mediatis, necesse est aliquam primam causam esse, in qua resistendum est, quæ cum sit prima, rationalis, formatrix & seruatrix omnium, habet infinitam potentiam. Hæc sunt igitur uerba in octauo physicorum: $\phi\alpha\epsilon\upsilon\epsilon\omicron\pi\omicron\upsilon\epsilon\kappa\tau\omicron\upsilon\delta\epsilon, \omicron\tau\iota\alpha\nu\acute{\alpha}\gamma\kappa\eta, \epsilon\iota\upsilon\alpha\iota\iota\epsilon\pi\chi\omicron\zeta\alpha\iota\delta\iota\omicron\mu, \tau\omicron\pi\epsilon\omega\tau\omicron\upsilon\kappa\iota\upsilon\omicron\upsilon\mu$, id est, Manifestum est hinc, necessariò unum quiddam primum & æternum esse, quod est primum mouens. Idq; dicit esse immobile, id est, non recipiens in sua essentia alterationes aut corruptionem. Hinc alia questio oritur, Quomodo agit primus motor, an liberè, & contingenter, an uerò necessariò.

An liberè & contingenter agat primus motor?

Voluit Deus aliquam esse reliquam in nostris mentibus de se noticiam, quæ utcunque monstrat eum, & moneat qualis sit ipse, & quod sit ipsius iudicium de rectè & secus factis, & quæ sit gubernatrix morum nostrorum. Quare utile est considerare, quousque progrediatur mens humana, sine uoce Dei, patefacta in Ecclesia.

Firmæ & immotæ demonstrationes ostendunt, esse

esse Deum, ostendunt & qualis sit, uidelicet essentia
intelligens, immensa sapientia & potentia, uerax,
bona, iusta, benefica, casta, liberrima, seruans hanc
rerum naturam. Cum enim homo sit natura intelli-
gens, & libera, necesse est causam, à qua ortum est
genus humanum, essentiam esse intelligentem & li-
beram.

Deinde, cum in mente humana luceant noticie,
quæ iudicant ueritatem, beneficentiam, iusticiam, ca-
stitatem, res bonas & eligendas esse, & contraria
fugenda, & experiamur hanc ordinem mentibus in-
situm esse, ut horribilis dolor & destructio nature
sequatur, cum contraria noticijs illis, quæ rectè iu-
bent, facimus, necesse est & Deum talem esse, quia
impossibile est præstantiorem naturam, ut intelligen-
tem, liberam, iusticiæ approbatricem, à deteriore o-
riri. Esset autem diuina toto genere deterior, si
non & ipsa esset intelligens, liberrima, & iusti-
ciæ adprobatrix. Imo destructio in doloribus con-
scientiæ ostendit, causam, quæ punit, & destruit,
similiter iudicare. Et hæ noticia de Deo, quæ
natura luceat in nostris mentibus, congruunt cum
lege Dei. Quid autem intersit inter Legis noticias,
& Euangelium, alibi dicitur.

Hæc autem præfatus sum, non solum ut falsas &
prophanas Stoicorum opiniones refutarem, sed ut in
nobis singulis ad sensio de prouidentia magis confir-
metur, cum demonstrationibus conuinci nos agnosce-
mus.

LIBER II.

Ceterum uox diuina saepe testatur, Deum esse a-
gens liberrimum, ut Psalmus inquit: Quaecumque uo-
luit, fecit. Sed Philosophorum uariae sunt disputa-
tiones.

Stoicorum opinio falsa, tetra & prorsus explo-
denda est, qui fingunt Deum necessario agere omnia
in formatione mundi, & in moribus hominum, ac ne
posse quidem aliter agere Deum contendunt, quam
ut eient cause secunde.

Aristotelis opinio restringitur ad formationem
mundi. Hanc formationem mundi ex Idea mentis di-
uinae esse, Et cum non sit alia Idea, necessario talem
esse mundi formam dixit, nec posse aliam esse. Sed à
uoluntatibus humanis remouit Deum. Regulariter
dixit sua libertate uoluntates contingenter eligere
quae uelint. Nec tamen prorsus sustulit in Deo liber-
tatem, sed concessit liberè cum aliquibus opem ferre,
& aliquos punire, ut in Heroicis motibus & poenis
ecernitur. Recitat hanc sententiam & Plutarchus
in disputatione de Fato.

Recita Aristotelis argumenta de
aeternitate mundi.

Pleraque argumenta in hac controuersia ducun-
tur ex physico principio: Ex nihilo nihil fit. At hoc
principium uerum est in naturam condita & or-
dinata. Nec transferatur ad ortum mundi. Ibi enim
repugnant alia principia. Cum demonstratum sit
incausam tantum esse primam causam intelligentem,

&